



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, 1664**

Qvæst. II. An Verbum procedat per se quarto modo ex cognitione  
creaturarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

supponit præcognita omnia, quæ sunt in Deo. Multum probat obiectio: cum creatura, etiam futura, Verbo à Patre dicatur. Respondetur pro omnibus Patrem quædam loqui primariò, quædam secundariò Verbo suo; quod aliquorum Verbum primariò, aliorum secundariò est: Sicut de diuina omniscientia philosophabamur controuersitate de scientia Dei. Primariò Pater Verbo suo solummodo dicit essentiam, quæ est obiectum specificatiuum adæquatam cognitionis diuinæ, quæ per se quarto modo Verbum procedit, reliqua autem dicit secundariò. Ab his autem, quæ secundariò dicit non magis per se Verbum pender, quam cognitio diuina, quæ ea secundariò representat, quæque Verbum procedit. Solum ergo, & Verbum, & cognitio diuina, quoad denominationem ab obiectis pendet secundariò, ut illorum sint, & cognitio, & verbum. Addiderim præcognitionem obiecti secundariò requiri in Patre ad loquentis actiue perfectionem, non autem ad perfectionem representationis obiecti, eorum etiam, quæ secundariò Verbum representat. Nam, si per impossibile in cognitione, quæ Verbum procedit, Patri non representarentur, & tamen cum intrinseca perfectione representationis formalis cognitio maneret, Verbum ea obiecta eodem profus modo representaret obiectiue, ac si præcognita à Patre formaliter forent.

7 Hinc constat solutio ad plura Patrum testimonia recitata à Ruiz. d. 61. sect. 2. a. n. 5. quibus dicitur Verbum esse: *omniū, que sunt in Patre, & Deo, Verbum: talique enadere, ne imperfectū euadatis: ac pro quous obiecta uerba multiplicare oportet, ut loquitur Athanas. epist. Nicænæ Synod. ad med. vrgentius videtur locutus August. 15. de Trinit. c. 14. sub init. pro Patris personalitate his verbis: Tanqua se ipsum dicens Pater genuit Verbum, sibi æquale per omnia: ergo generatio Verbi formalissimè est dictio, quæ se dicit Pater ex August. ergo ad illam prænotat se Pater: ergo suam prænotat paternitatē, seu personalitatem, sine qua Pater nō est. Respondetur distinguendo consequentiā primam: quæ se dicit Pater primariò, nego consequentiā; quæ se dicit secundariò concedo consequentiā, & nego eodem sensu consequentiā secundā. Solum ergo contendit August. Verbum in ratione Verbi æquare sua obiectiua representatione formalitates omnes obiectiua id autē satis est, si ex quoque obiecto, & formalitate omnimodā representatione obiectiua realiter, & formaliter trahat. Audite quæ immediatè subiungit August: *Non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso.**

8 Argues rursus pro Patris personalitate ex Vazq. Illud est obiectū primariū intellectiōis, quæ Verbum procedit, quod potest esse obiectū primariū productionis Verbi: sed essentia sola sine Patris personalitate nequit esse obiectū primariū productionis Verbi: ergo neque intellectiōis quæ Verbum procedit. Probat minor: quia determinans intellectū Patris per modum obiecti, & principij secundantis illū ad Verbi productionē distinguere debet à Verbo producto: sed essentia sola sine Patris personalitate nō distinguitur à Verbo producto: ergo essentia sola sine patris personalitate nō est obiectū secundantis intellectum Patris, & primariū. Respondetur negando primam minorem. Ad eius probationē nego maiore. Nam obiectū diuinæ cognitionis, ne formaliter quidem, ab ipsa distinguere debet: latè probaui cōtra nostrū Herice controu. de scientia Dei d. 2. q. 1. quare in genere obiecti, sicut nulla est præcedentia obiecti ad scientiam diuinam, ita, neque eius ab illa, aut Verbo distinctio requiritur. Solum ergo requiritur distinctio Patris à Verbo, quatenus productiōis illius est: unde, licet obiectum foret, ea præcisè ratione à cognitione, & à Verbo distinguere non deberet, ut Patres docent, qui Patrem à Verbo ratione adiuuati, & processions tantū distinguere asserunt: Ex patre: cū Verbum sui ipsius obiectiua representatio & Verbum sit. Instat Vazq. & Hurtado. Verbum procedit primariò, ut Filius, & imago Patris: ergo, ut representans primariò Patre: ergo ex cognitione Patris. Respondetur distinguendo antecedens: procedit primariò, ut imago in-

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Uno & Trino.

tentionalis patris, nego, ut imago realis, concedo antecedens iuxta dicta de eius Filiatione præ Spiritu S. d. 3. q. 2. cert. 6. Ad rationē autē imaginis realis representati præcognitio non requiritur: ut in Filiis omnibus pater: atque citato loco contra Vazq. euicimus.

9 Denique pro Filij personalitate arguit Vazq. Productio Verbi essentialiter est intellectio: ergo produci Verbum essentialiter est intelligi Verbum: ergo nequit produci, quā intelligatur. Egregius paralogismus. Distinguo antecedens: essentialiter est intellectio sui obiecti primarij concedo antecedens; termini, quem producit, nego antecedens: Et nego inde consequentiā primam, & secundam. Solum enim inferitur produci Verbum esse intelligi obiectū primariū illius, non terminū. Cōstat manifestè in Verbo creato: in quo, quia intellectiōe Petri, v. g. producit essentialiter Verbum Petri, ac proinde eius productio essentialiter est intellectio Petri, non valet intellectiōe ipsius verbi, verbum Petri produci: neque ipsum Verbum produci esse ipsum Verbum intelligi.



QVÆSTIO II.

An Verbum procedat per se quarto modo ex cognitione creaturarum?



REATVRAS impossibiles, & futuras, siue existentes ad rem hanc Doctores diuidit. De quibus omnibus ex ratione à prioris quæ præcedentis quæstionis conclusionē probauimus claret negatiue resoluendum esse. Sed quia pro creaturis, tam possibilibus, quam existentibus, & futuris alie suppetunt rationes, quæ pro aliis grauibz Theologiæ controuersis non contemnendam parant supellestem, de eis seorsim disputamus.

CERTAMEN I.

Non procedit per se quarto modo Verbum è possibilium cognitione.

1 O ppositam nostræ conclusioni sententiam tenet Gabr. in 1. d. 27. q. 3. art. 3. dub. 1. Caietanus 1. p. q. 34. art. 3. vbi Bannez, Zumel, Molin. Valent. q. 7. d. 2. dub. 2. Suar. lib. 9. c. 6. Ruiz. d. 73. se. 1. Granad. tract. 9. d. 9. Zunñiga d. 3. dub. 6. Albiz d. 3. se. 8. & Complutenses Recentiores. Nostram verò conclusionem docent Scotus quodlibet. 14. & in 2. q. 1. Faber cum omnibus Scotistis d. 2. Vazq. d. 143. c. 3. Arrubal. d. 13. Luis de Torres d. 18. dub. 3. Albertin. corollar. 14. ad prædicatum ad aliquid, dub. n. 8. Alarcon de Trinit. d. 8. c. 9. n. 13. communitèrque in nostra Provincia Recentiores, & quod mihi caput est illud Scholarū miraculum Magister meus Pater Didacus Daza. Multa in casum pro hac conclusionē ex Patribus afferuntur, scilicet, & pro opposita, cum tamen Patris nihil de ea, siue in terminis siue in virtute definierint. Est autem probata scholasticè à priori quæstione præcedenti. Sed admisso etiam, quod specificatiuum adæquatam essentia sola non contineatur respectu cognitionis diuinæ, sed reliqua etiam diuina, quæ eadem res sunt cum essentia, ad illud aduocanda sint: nimirum personalitates, & attributa omnia præcipuè omnipotentia, in qua est rei præsentis difficultas; probanda erit conclusio hoc pacto.

2 Omnipotentia diuina absoluta est à creaturis: ergo, licet Verbum procedat quarto modo per se cognitione omnipotentia, non procedet per se quarto modo cognitione possibilium creaturarum. Consequentiam negat nemo. Antecedens probō. Maior est necessitas Dei, quam creaturarum possibilium: ergo nihil connectitur cum creaturis possibilibus. Consequentia est legitima. Nam connexum essentialiter cum termino sublato termino perit: ergo nequit esse maioris constantiæ, & necessitatis, quam terminus. Antecedens probatur. Alioqui sublata simix cauda è possibilibus

Q. 2. DEUS

Deus non foret, quod, licet aliqui deglutiant, strictiores pietas debet habere fauces. Probatur secundò à priori. Vna necessitas essendi, vt sic potest esse maior altera: ergo, cum in Deo summa necessitas poni debeat, maior erit in ipso necessitas existendi, quam sit necessitas creaturarum possibilitium. Antecedens probò: quia maior est certitudo vnius propositionis, quam alterius: cum tamen certitudo de conceptu suo dicat necessitatem existendi, seu essendi rem, sicut enuntiat, atque omnem contingentiam excludat aliter essendi: ergo cum necessitate, & implicatione aliter essendi, quæ omnem contingentiam aliter essendi excludat, potest esse maior necessitas ita essendi, & maior implicatio aliter essendi.

3 Dices certitudinem propositionis desumi ab extrinseco principio: necessitatem verò essendi, vel actu, vel possibiliter debere esse intrinsecam, in quo est implicatio. Contra primò: quia si ab extrinseco non implicat maiorem esse necessitatem, & constantiam cur ab intrinseco ita esse implicabit, si termini diuersi sint, de quibus vtrumque verificatur. Contra secundò: quia tandem in principiis veniendum est ad prima principia, quorum alia aliis certiora, & magis necessaria veritatis sint. Contra tertidò: quia intrinsecè est magis necessaria veritas, ac proinde magis infallibilis in diuina scientia, quam in euidenti cognitione creata, etiam primorum principiorum: vnde fides principiis omnibus naturalibus est certior. In quo certitudo à veritate maximè differt: nam veritas è suo conceptu consistit in indiuisibili omnimodæ adæquationis cognitionis cum obiecto: necessitas autem veritatis, in qua certitudo stat, non consistit in indiuisibili, sed maior, vel minor esse potest, etiam intrinseca: alioquin, sicut veritas, quia è suo conceptu in indiuisibili omnimodæ adæquationis consistit, ab extrinseco maior esse non potest veritas, ita, nec maior posset esse necessitas, seu certitudo illius, etiam ab extrinseco: si necessitas & constantia veritatis è suo conceptu in indiuisibili consisteret. Qua in re decepti valde sunt Recentiores sæpe in hac materia impugnati, qui exemplo indiuisibilitatis, & æqualitatis, quæ in veritate necessariò est, in necessitate intrinseca veritatis, seu certitudine idem euinci iudicabant. Indèque in necessitate existentie Dei, & possibilitatis creaturarum.

4 Vigent. Aqua contradictio, & repugnantia est in his contradictoriis: *Petrus existit. Petrus non existit.* Atque in his: *Deus est. Deus non est.* ergo aqua necessitas est possibilitatis creaturæ, & existentie Dei. Probant consequentiam. Necessitas existentie Dei solum consistit in exclusione absoluta negationis sue, siue contradictorij existentie sue, cuius nullam relinquit contingentiam: necessitas possibilitatis consistit in exclusione absoluta, & omnimoda sue repugnantie, quæ nullam repugnantie sue contingentiam relinquit: ergo aqua est necessitas existentie Dei, & possibilitatis creaturæ. In primis instatur argumentum in maiore necessitate vnius veritatis præ alia, siue extrinseca conclusionis demonstratæ, siue intrinseca primorum principiorum. Pro omnibus ergo respondeo concessio antecedenti primò, negando consequentiam. Ad eius probationem dico: vnum contradictorium æquè excludere alterum formaliter ex præsuppositione alterius extremi; alitè extremum existentie Dei, quod alterum extremum contradictorium eius existentie excludit, maioris esse constantiam, quam extremum possibilitatis creaturæ, quod ab illa ipsius impossibilitatem, & repugnantiam excludit. Creatura enim semper imbibit essentialem dependentiam à Deo saltem possibiliter, quam Deus neque logicè, neque physicè dicit à creatura, imò, neque à se ipso: quare creatura Dei existentiam supponit ad suam etiam possibilitatis positionem. Inde maioris constantie, & necessitatis esse conuincitur existentie diuinæ positio, quæ sui negationem excludit: licet vtraque posita formaliter, & contradictoriè æquè extremi oppositi, suæque repugnantie contingentiam excludat. Sed inquires: quamnam maior hæc constantia, seu necessitas ponenda existentie Dei,

quam possibilitatis? Rogabo & ego: Quænam sit maior necessitas in veritate diuina, quam in veritate primi principij creati? Sed, & maiorem necessitatem existentie diuinæ sic explicabo. Tantæ necessitatis est diuina existentia, vt si ad ipsam oppoteret è possibilibus aliquid fieri impossibile, atque ex impossibilibus aliquid fieri possibile, præstandum foret; Non autem contra, si ad possibilitatem oppoteret diuinam existentiam remoueri, hæc nunquam remouenda foret, licet creatura possibilis impossibilitatem incurreret: Sic etiam de maiori necessitate veritatis diuinæ, quam primorum principiorum dicendum est, vt vtrouique Deo dignè concipiatur.

5 Addiderim denique: & si omnipotentia ad creaturas essentialiter referatur, dici tamen non incongruenter posse Verbum omnipotentie solius cognitione non autem creaturæ vilius per se quarto modo procedere: satisque id paruo defenderem. Neque enim, vt relatiuum cognoscatur, termini cognitione opus esse videtur. Sicut enim diuersam in se entitatem relatio habet, licet à termino dependentem: ita, & in se diuersam habet cognoscibilitatem: quia dependentia in entitate non arguit dependentiam in cognoscibilitate intuitiua. Quauis enim nos, qui abstractiue, & per alienos conceptus cognoscimus, non aliter, quam in ordine ad terminum cognoscere relatiua possumus, plura tamen vulgò relatiua intuemur, quorum terminos certe intuitiue non cognoscimus, & fortè, nec de eis abstractiue cogitamus. Secundò saltem eadem cognitione, adhuc specificè, qua relatiuum cognoscitur, opus non esse, vt terminus cognoscatur, licet cognitione alia simul cognosci debeat, mihi probabilius est. Quare licet in Deo ob perfectionem cognoscentis eadem indiuisibili cognitione cognoscatur vtrumque, cum tamen ex omnipotentia relatiua (quam specificatum esse nunc admitto) totam perfectionem representationis cognitio sumat, qua per se quarto modo procedit Verbum, ex ea formalitate cognitionis indiuisibilis comparata ad omnipotentiam prædictam totam obiectum representationem traheret. Verbum: ac proinde sola omnipotentia obiectum per se quarto modo processionis Verbi foret; aliudque extrinsecum materialiter solum respectu processionis Verbi se haberet. Nam in formalitate eadem indiuisibili potest aliquid extrinsecum materialiter se habens, aliud verò formaliter se habens assignari: vt patet in actu fidei.

## CERTAMEN II.

*Nullam creaturam futuram esse obiectum per se quarto modo processionis Verbi.*

1 **T** Ventur conclusionem quot quot conclusionem de possibilibus dedimus. Eamque ad eò certam censet noster Vazq. c. i. vt nullum fore tam hebeti ingenio iudicet, qui aliter sentiat. Ex eis verò Doctoribus, qui aliter de possibilibus censebant nobis de futuris consentiunt Suarez. de Trinit. capite 7. Granad. tract. 9. d. 7. Ruiz. d. 63. sect. 4. & Compluyenses Recentiores. In his autem consequentiam desidero. Si enim potest dari in Deo representatio obiecti extrinseci ab eo absoluta, & independens: ergo talis erit representatio possibilium: ergo, & Verbum possibilium ab illis absolutum, & independens erit. Extrema consequentia patet: nam tota difficultas est in saluanda representatione actuali absoluta, & independenti, ab obiecto, quod actu exercito representat. Primam consequentiam probò. Posita possibilitate actualis representationis diuinæ, & vitalis absoluta, & independens ab obiecto extrinseco, vt hi ponunt circa futura, perfectior est representatio vitalis absoluta, & independens à creatis possibilibus quam ab illis dependens: ergo Deo, cuius actibus summa perfectio



procedit, trahit, positisque futuris Verbum esset formaliter expressio obiectiva illorum: ergo, vt tale neque eminenter, & virtualiter à cognitione formali exercita illorum per se Verbum procedit, licet procedat à cognitione eminenti omnino independente à futuris.



### QVÆSTIO III.

#### De termino formali diuinarum processionum.



OTA est de nomine quæstio, breuique proinde definienda. Sed tamen omittenda non fuit: quia, & suam habere subtilitatem potest, vtilèque aliis grauioribus doctrinam.

#### CERTAMEN I.

##### Aliorum sententia.

**P**rima sententia nullum proprium terminum formalem diuinarum processionum recognoscit. Ita S. Bonau. in 1. d. 13. art. 1. q. 2. ad 2. d. 5. art. 2. q. 1. corp. Okam. q. 3. Gabr. quæst. 3. art. 2. Aureol. quæst. vnic. art. 2. proposit. 3. & art. 3. col. 3. Gregor. q. 2. art. 2. concl. 2. Ruiz d. 98. sect. 7. concl. 2. num. 11. Rationes pleraque eis, nec communes sunt, nec momenti. Fundamentum commune est: quia terminus formalis proprius productionis cuius est, qui per se, & in se existentiam accipit per illam, & ratione illius eam accipit terminus totalis atqui essentia diuina non accipit in se existentiam per processionem, neque Persona accipit esse, siue existentiam ratione essentia: ergo non est terminus proprius formalis diuinarum processionum. Sed certe discursus solum concludit essentiam non esse proprium terminum formalem processionum. Si autem personalitas propriam formaliter existentiam habeat, propriumque esse, vt in Aduerfariorum sententia habeat, nonne in Personis precedentibus esse recipiet processionem, eiusque ratione Persona, quæ illa constat personalitate? Solus Gregorius, qui nobiscum propriam existentiam, atque personalitatem diuinis d. proxime sequenti de per ad eas etiam discursum possit extendere: quæ talis, sonalitas in se existentiam non recipit iursus ratione sed, qua communicatio essentia & existentiam tota personalitatis non accipit esse personalitas terminus Persona procedens: quare esse poterit. Sed maior proprius formalis processio constat.

non est firma, vt c. q. 3. art. 1. corp. Capreol. q. 1. art. 1. S. Thom. 1. 2. contra illam, & circa solutionem ar. concl. 2. Scot. arthufian. q. 2. vers. fin. §. Nunc restat, apud gument. en. Egidius, fufius Argent. q. 1. art. 3. Mai. q. 1. quem Caiet. & Canar. 1. p. q. 41. art. 3. Vazq. d. 162. cap. 3. c. lib. 6. c. 6. atque (ex hypothesi, quod proprius formalis terminus processionum assignari possit) Ruiz etiã citata sect. 7. num. 6. asserunt essentiam esse terminum formalem diuinarum processionum. Pro qua opinione nihil firmum ab eius Authoribus asferri video, nisi forte quod essentia diuina veluti Persona producta forma sit, teste Paulo docente: *Qui cum in forma Dei esset*, cui plures consonant Patres supra à nobis dati. In creatis verò compositis forma terminus formalis productionis eorum est, totique composito esse dat. Vrgentiùs arguere posset Vazquez noster, qui propriam existentiam personalitatem d. sequenti nobiscum denegabit q. 1. cert. 1. Etenim essentia actiue communicatur Personæ procedenti per processionem, licet formaliter ipsi in facto esse com-

municetur per identitatem, quare, & totum esse Personæ totius procedentis est actiue ipsi communicatum, licet in se improdictum, quia omnino est à se, vnde, & terminus formalis processionis erit, licet ipsa non producat: quia non omnia, quæ termino formali create productionis conueniunt, debent termino formali processionis diuine conuenire, vt cert. 2. dicemus.

3 Henricus quod lib. 8. quæst. 9. pag. 2. & art. 54. summa q. 2. Gotfredus apud Scorum q. 2. citata col. 2. Gasp. Hurtado d. 1. diff. 11. docent personalitates, non autem essentia, esse terminum formalem diuinarum processionum. Quibus (ex hypothesi quod proprius aliquis terminus diuinarum processionum sit) consentiunt veteres Doctores pro prima sententia relati. Sed tamen, licet hæc nobis sententia probetur, Gotfredi ratio probanda non est. Ait enim essentiam diuinam esse processionis, ac Personæ, quasi materiam, & subiectum, & indicare videntur Patres dum aiunt, *Filius esse ex, vel de substantia Patris*. Fulgent. de fide ad Petr. cap. 2. Concil. Toletan. 3. 4. & 11. in confess. fidei. Cæterum Gotfredi locutio temeritatis notatur, malèque sonantis à nostro Ruiz proxime concl. 3. n. 14. Et merito: tum, quia solus in re graui ita ex Catholicis Doctoribus loquitur: tum quia consonat Arrianis ita loquentibus apud Hilar. 4. de Trinit. col. 2. Ambros. 2. de Spiritu S. c. 10. post med. qui tantumdem valere effuiebant Personas procedentes esse, vel factas esse ex Dei substantia, ac si diceret *arcam ex ligno factam esse*: quæ est eadem, atque Gotfredi propositio, qui idem lapsus est, quod illud ex materiali modo ex physicis, & creatis intelligens, in quibus materiam compositionis inueniat, non alio sentit à Patribus, vel credit, vel soluit in processionibus usurpauit; cum longè alio sensu ea in re fuerit à Patribus acceptum.

4 Longè tamen aliter particula *ex*, Patres usurpant, dum Filium *ex*, vel *de* Patre, vt denotent eius à Patre esse, aut edi aiunt: nempe, vt d. 2. q. 2. ad quam essentiam processionem (iuxta inuicem, & energia, vt dicebatur se habeat, vt tota forma producentis se habeat) inus d. 4. q. 2. ac sepius, vt forma producentis se habeat, non vt materia subiectum productionis, vt bene S. Thom. 1. p. 9. processionem, quæ in linea originis est, sed indetotet metaphysicam Personæ procedentis constitutionem, licet essentia commune quid Personis sit, atque huius personalitate ad hæc potius Personam constituendam determinetur, quod materia proprium videretur; tamen, cum Persona quæuis in esse etiam Dei, nobilissima nempe constitutione constituatur, idque à deitate, tanquam à forma, habeat, potiori iure intrinseca etiam constitutione Persona formam agere, non materiam, essentia dicitur: vt bene S. Thom. proxime, vii Caietan. §. Ad hæc, & Molin. d. 2. & Canar. Scotus proxime §. Ita tenendo, Vazquez, d. 162. §. *Mibi*, Suarez lib. 6. cap. 6. num. 6. & 8. Valent. 1. p. q. 15. punct. 3. post med. Ruiz d. 97. sect. 1. à numero 3. id quod clarissè apparet, si tota actualitas essendi Personarum, siue existentiam, essentia, ac natura solius sit, vt d. sequenti, quæst. 1. monstrabimus.

5 Et quidem essentiam in diuinis formam dici debere testis est Paul. ad Philip. 2. vbi de Christo Filio ait: *Qui cum in forma Dei esset*, &c. id est in substantia, & natura Dei esset, vt multis ostendebamus Patrum testimonio d. 2. q. 4. cert. 2. Confirmatur: quia ex hoc loco, & phrasi Pauli Patres, tam ibi, quam alibi passim, filij cum Patre consubstantialitatem, atque identitatem in natura demonstrant: si essentia non forma, sed materia esset in diuinarum Personarum constitutione, malè, & Paulus loqueretur, & Patres inferrent consubstantialitatem Filij cum Patre: ergo essentia, seu deitas in diuinis, vt forma se gerit, non vt materia. Minor suaderetur. Quia, quæ eiusdem materię, siue ex eadem materia sunt, formæ autem diuersæ, siue in physica, siue in metaphysica constitutione substantiali, nusquam eiusdem substantiæ, siue consubstantiales esse dicuntur, vt in omnibus constitutis substantialibus patet. Ergo si essentia